MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80597-4

AUTHOR:

REUSCHER, DR.

TITLE:

ANNOTATIONES AD LOCOS ALIQUOT...

PLACE:

POTSDAM

DATE:

1859

Master Negative #

92-80597-4

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Reuscher, Dr.
...Annotationes ad locos aliquot Ionis Euripideae ... Potsdam, [gedruckt bei C. Kramer], 1859.
16 p. 26 x 20 cm.


Gymnasium progr. Potsdam.

Another copy.


Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 14x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 5/27/92 INITIALS BY
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT








AIIM


Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202









MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Euripides
Reuscher

Dupl

Zu der öffentlichen

Prüfung der Zöglinge

des hiesigen

Gymnasiums,

am 12ten April 1859,

laden ehrerbietigst und ergebenst ein

Director und Lehrer der Anstalt.

Inhalt:

Potsdam, 1859.

V. 198 — 204.

ὁρῶ· καὶ πέλας ἄλλος αὐ-
τοῦ πανὸν πυρίφλεκτον αἴ-
ρει τις· ἆρ' ὃς ἐμαῖσι μυ-
θεύεται παρὰ πήναις
ἀσπιστὰς Ἰόλαος, ὃς
κοινοὺς αἰρόμενος πόνους
Δίῳ παιδὶ συναντλεῖ;

Vix dubium esse potest quin erraverit Hartungius, quum hunc locum ita interpretaretur, ut quae hic colloquuntur mulieres Iolai certamen in peplo textum conspexisse se dicerent. Verba enim *μυθεύεσθαι παρὰ πήναις* ne cum illo vertamus: »es ist der, von dem mein Gewebe die Sag' enthält« quum ipsum verbum *μυθεύεσθαι* tum grammatica ratio videtur obstare, qua aut dativus postulatur aut praepositio *ἐν*, vide Iph. T. 799. *ὕφηνα καὶ τόδ' εἶδος εὐμίτοις πλοκαῖς.* Hec. 461. *ἐν κροκέῳ πέπλῳ ζεύξομαι ἅρματι πώλους δαιδαλέαισι ποικίλλουσ' ἀνθοκρόκοισι πήναις* et Iph. Tauric. 796. *ταῦτ' οὖν ὑφήνασ' οἶσθ' ἐν εὐπήνοις ὑφαῖς*, ibid. 798. 223 sqq. Troad. 199 sqq. Graecos autem homines e picturis ac telis accuratiorem quandam fabularum cognitionem sibi parasse et per se veri simile est et multis veterum testimoniis confirmatur. Sic, ut v. 281. *δίδωσι δ', ὥσπερ ἐν γραφῇ νομίζεται;* praetermittam, in hac fabula chorus confitetur neque in opere textorio se vidisse nec fando traditum audisse deorum liberos unqnam perpetua frui felicitate.

Vide v. 521.

οὔτ' ἐπὶ κερκίσιν οὔτε λόγοις
φάτιν ἀΐον εὐτυχίας μετέχειν
θεόθεν τέκνα θνατοῖς.

Non multum differunt verba Hecubae naves Graecas conscensurae Troad. v. 682. *αὐτὴ μὲν οὔπω ναὸς εἰσέβην σκάφος, γραφῇ δ' ἰδοῦσα καὶ κλύουσ' ἐπίσταμαι.* Similia fere sunt, quae patri de scelerata sua libidine iracundius ac vehementius secum expostulanti respondet Hippolytus v. 987. *οὐκ οἶδα πρᾶξιν τήνδε, πλὴν λόγῳ κλύων γραφῇ τε λεύσσων.* Facile autem ex his colligi poterit, exempla ista ad illud genus dicendi referenda esse, quo quis rem se non tam expertum, quam ab aliis doctum nosse, aut contra se non ab alio audisse, sed ipsum vidisse significet, ita ut ille rem se parum, hic certo scire dicat. Quem loquendi usum paucis mihi exemplis illustrare liceat. Soph. Phil. v. 676. *λόγῳ μὲν ἐξήκουσ', ὄπωπα δ' οὐ μάλα.* Trachin. v. 748. *αὐτὸς δεδορκὼς κοὐ κατὰ γλῶσσαν κλύων.* Eur. Med. 652. *εἴδομεν, οὐκ ἐξ ἑτέρων μύθων ἔχομεν φράσασθαι.* Iph. Taur. 875. *τάδ' εἶδον αὐτὴ κοὐ κλύουσ' ἀπ' ἀγγέλων.* Vide praeterea exempla, quae ad hunc locum Hermannus et ad Soph. Trach. v. 748. Schneidevinus adiecit. His adde Aeschyl. Agam. 825. *οὐκ ἄλλων πάρα μαθοῦσ' ἐμαυτῆς*

δύσφορον λέξω βίον et v. 1155. ἐκμαρτύρησον προὐμόσας τὸ μὴ εἰδέναι λόγῳ παλαιάς τῶνδ' ἁμαρτίας, ubi alterum membrum oppositionis omissum est. Iam autem ut eo revocetur, unde huc declinavit oratio, quum nec loco supra laudato Ion. v. 521. firmari nec grammaticis rationibus probari possit Hartungii explicatio, verba ἆρ' ὅς ἐμαῖσι ..... Ἰόλαος cum Musgravio interpretamur: »an de quo, dum telas conficimus, confabulari solemus, armiger Iolaus?« Quam me sententiam eo libentius amplecti fateor, quum alio loco Euripides mulieres ad telam de Helenae ortu confabulantes fecerit. Vide Iph. Aul. 795. οἵαν (sc. ἐλπίδα) αἱ πολύχρυσοι Λυδαὶ καὶ Φρυγῶν ἄλοχοι στήσουσι, παρ' ἱστοῖς μυθεῦσαι τάδ' ἐς ἀλλήλας· τίς ἄρα κ. τ. λ.

V. 466. sqq. ΧΟ. Σὲ τὰν ὠδίνων λοχιᾶν
ἀνειλείθυιαν, ἐμὰν
Ἀθάναν ἱκετεύω,
Προμηθεῖ Τιτᾶνι λοχευ-
θεῖσαν κατ' ἀκροτάτας
κορυφᾶς Διός, ὦ μάκαιρα Νίκα,
μόλε Πύθιον οἶκον. κ. τ. λ.

Omnes omnium temporum poëtas tragicos quum hoc sibi sumpsisse videamus, ut non solum rerum vi atque gravitate, sed etiam sententiarum splendore atque granditate audientium animos aut perfunderent aut perfringerent, non mirum est, quod a communi hominum sermone paulum recedendum sibi putantes audacius quoddam atque inusitatius genus dicendi sunt consectati. Atque in hoc genere, quod quam late apud Graecos pateat nemo non videt, quum aliae tum hae sententiarum formae numerandae sunt, quibus rem ita negant, ut cum adiectivis ex iisdem nominibus et α privativo compositis eam coniungant.

Sic apud Euripidem leguntur Hel. 696. γάμος ἄγαμος. Suppl. 32. δεσμὸς ἄδεσμος. Iph. Taur. 888. ὁδοὶ ἄνοδοι. 566. χάρις ἄχαρις. 814. δάκρυ ἄδακρυ. Herc. F. 1133. πόλεμος ἀπόλεμος. Hec. 612. νύμφη τ' ἄνυμφος παρθένος τ' ἀπάρθενος. Hipp. 1115. πότμος ἄποτμος. Hel. 363. ἔργ' ἄνεργα. Rarius ista Sophocles usurpavit. Aiac. 665. ἄδωρα δῶρα. El. 1154. μήτηρ ἀμήτωρ. O. R. 1214. ἄγαμος γάμος. Phil. 534. ἄοικος εἰςοίκησις. 848. ὕπνος ἄυπνος, rarius etiam Aeschylus, velut Prom. v. 907. ἀπόλεμος ὅδε γ' ὁ πόλεμος. Nonnumquam adiectiva illa non ab eodem, sed a cognato nomine formantur, ut apud Euripidem Orest. 308. ἀβάκχευτος θίασος. 621. ἀνήφαιστον πῦρ. Phoen. 1032. ἄλυρος μοῦσα. Totum autem hoc genus quum eam explicationem habeat, ut quam notionem animo concipiamus eandem continuo ipso contrario adiecto negemus, unde quasi ad vanum et irritum redacta videatur, singularem quandam vim atque acerbitatem ei inesse apparet. Attamen illa ut insolentiora comici deriserunt, velut Aristophanes Ran. 1334. ψυχὰν ἄψυχον. Romani autem talia imitari non dubitarunt, cuius rei testimonium praebent verba incerti poëtae apud Ciceronem de or. III. 58: »Qua tempestate Paris Helenam innuptis iunxit nuptiis« et Catullus in Epithalamio Pelei et Thetidos v. 81 sqq.:

Ipse suum Theseus pro caris corpus Athenis
Proiicere optavit potius, quam talia Cretam
Funera Cecropiae ne funera portarentur.

Sic multo audacius ipse Cicero in prima Philippica II. 5. Caesaris non rite peractam humationem insepultam sepulturam vocavit. Huic de quo diximus generi coniuncta illa ratio est, qua non minus a prosae orationis scriptoribus quam a poëtis ad adiectiva ista genetivi aut cognati cuiusdam vocabuli aut, id quod rarissimum, eiusdem nominis adiiciuntur. Disseruerunt de hac re Bernhard. Syntax. p. 172. Matth. Gr. Gr. § 339. Krueger Gr. § 47, 26, 10. Valcken. ad Eur. Phoen. 328. Hic quoque viam posterioribus monstravit Homerus (Odyss. δ. 788. κεῖτ' ἄρ' ἄσιτος ἄπαστος ἐδητύος ἠδὲ ποτῆτος), in quam tragicos potissimum poëtas longe exspatiatos esse videmus. Sed ne exemplis te obruam, ecce paucissima. Soph. El. 36. ἄσκευος ἀσπίδων. Eur. Phoen. 328. ἄπεπλος φαρέων et apud Herodotum, Xenophontem, Isocratem ἄπαις ἀῤῥένων παίδων. His denique addendus noster locus σὲ τὰν ὠδίνων λοχιᾶν ἀνειλείθυιαν, de quo Schol. in Hermog. p. 891. Reiske Εἰλείθυιαι δὲ λέγονται παρὰ Δωριεῦσιν αἱ ὠδῖνες· ὅθεν καὶ ἀνειλείθυια ἡ ἄγονος γυνή. Vertendum igitur: Te, partus dolorum expertem, Minervam meam, imploro. Quod si recte statuimus genetivis istis eam vim subiectam esse ut, quum de re aliquid omnino negatum sit, ipsam negationem, genere, quo valet, addito, quasi certis quibusdam terminis circumscribant: apte quidem homo vocari poterit ἄπαις ἀῤῥένων παίδων, quod genetivi adiecti filiorum tantummodo orbitatem indicant, at si quis hominem ἄπαιδα παίδων appellaverit, quum bis idem dixerit, non tam aptis luminibus orationem ornasse quam inani verborum strepitu onerasse videatur. Ac nescio an inde factum sit ut talia Aeschylus et Sophocles omnino evitaverint, bis quod quidem sciam, utpote in hisce rebus minus religiosus, usurpaverit Euripides in Helena v. 524. ἄφιλος φίλων et ἄπαιδας ἡμᾶς δεῖ καταστῆναι τέκνων, quem locum Kruegerus attulit Synt. poet. § 47, 26, 11. Denique ad eandem rationem ea adiectiva referenda sunt, quae tum ex syllabis δυς et εὐ tum aliis adiectivis et ex substantivis eiusdem aut cognati generis composita sunt. Iph. T. 143. δυσθρήνητος θρῆνος. 195. δυσδαίμων δαίμων. 216. νυμφεῖον δύσνυμφον. Trood. 127. εὔφθογγος φωνή. Bacch. 67. κάματος εὐκάματος. Iph. T. 140. κώπη χιλιοναύτης. Bacch. 115. λευκότριχες πλόκαμοι. 167. κῶλον ταχύπουν. Hec. 67. βραδύπους ἤλυσις ἄρθρων. Iph. Aul. 423. θηλύπους βάσις. 1086. καλλικόμας πλόκαμος multaque alia.

V. 371 sqq. ΙΩΝ. οἴμοι· προσῳδὸς ἡ τύχη τῷ 'μῷ πάθει.
ΚΡ. καί σ', ὦ ξέν', οἶμαι μητέρ' ἀθλίαν ποθεῖν.
ΙΩΝ. καὶ μή γ' ἐπ' οἶκτόν μ' ἔξαγ' οὗ 'λελήσμεθα.

In postremo versu particulam καί, quippe quae idoneo sensu careret librariique errore e versu praecedente huc irrepsisset, eiici iusserunt viri docti alii aliam medicinam quaerentes. Proposuerunt Musgravius ναί, Hartungius μὴ δή μ' ἐπ', Fixius μὴ δῆτ' ἐπ', vel σὺ, μή γ', aut denique μὴ σύ γέ μ' ἐπ' οἶκτον, quum Paris. A. μ' post οἶκτον omittat, Naukius καὶ μή μ' ἐπ' vel ἆ· μή γ' ἐπ', Kirchhoffius denique de vera

scriptura dubitare se fatetur. Ab his dissentientes L. Dindorfius et Hermannus librorum scripturam in integrum restituerunt. Equidem nec ipse particulam mutare ausim, quae nescio an habeat, quo defendatur. Nonnumquam enim καί in initio sermonis ita usurpatur, ut colloquentium verba cum affirmatione quadam connectat. Sic apud Sophoclem O. C. 1432. interroganti Antigonae οὕτως ἄῤ, ὦ παῖ, ταῦτά σοι δεδογμένα; respondet Polynices καὶ μή μ' ἐπίσχῃς γ', quod interpretamur: profecto, proinde ne me detineas. Simillima sunt quae apud eundem in Oedipode rege leguntur v. 770. sqq. ubi post verba Iocastae ἀξία δέ που μαθεῖν κἀγὼ τά γ' ἐν σοὶ δυσφόρως ἔχοντ', ἄναξ Oedipus pergit κοὐ μὴ στερηθῇς γε, nec profecto nescia eris. Quare Ionis verba ista, ni fallor, hoc modo explicanda sunt: Sane, neve i. e. ne igitur facias, ut quae oblitus sum, deplorem.

V. 395 sqq. ΧΟ. πολλαί γε πολλοῖς εἰσι συμφοραὶ βροτῶν,
μορφαὶ δὲ διαφέρουσιν· ἓν δ' ἂν εὐτυχὲς
μόλις ποτ' ἐξεύροι τις ἀνθρώπων βίῳ.

Sic hi versus in codicibus B. et C. leguntur, nisi quod in C. prima manu βίον scriptum est, ut etiam apud Stobaeum exstat, a quo fl. XCVIII. 41. III. p. 252. afferuntur. Idem habet ἐν δ' εὐτυχίαις. Nec Grotii coniecturae ἕνα δ' ἄνευ τύχης et βίον, nec Musgravii opinationi ἕνα δ' ἂν εὐτυχῆ βίον, qua incommodum, quo quis traditam scripturam laborare putet, minime tollatur, tantum tribuerim, ut multis refutem. Neque tamen dissimulaverim ne mihi quidem verba illa tam plana atque aperta videri, ut explicatione non egeant. Nam qui ἓν εὐτυχές cum Matthiaeo »felicitatem unius generis sive unam eandemque felicitatem, quae sine varietate perdurat, continuam«, explicaverint, quam id recte faciant, viderint. Sententiam quidem suam illi nec confirmarunt testimoniorum auctoritate nec subtilitate argumentorum illustrarunt. At vocabulum ἓν ubique, quod sciam, eo sensu usurpatur, non ut continuum, sed ut unum significet. Vide, ut pauca afferam, Eur. Herc. 326. ἕνα γὰρ ἐν πολλοῖς ἴσως εὕροις ἄν, ὅστις ἐστὶ μὴ χείρων πατρός. Antiop. fr. XXXI. σοφὸν γὰρ ἓν βούλευμα τὰς πολλὰς χέρας νικᾷ. Antig. fr. VIII. ζευχθεὶς γάμοισιν οὐκέτ' ἐστ' ἐλεύθερος, ἀλλ' ἓν γ' ἔχει τι χρηστόν. Quum igitur verbis πολλαί γε πολλοῖς .... βροτῶν opponantur ea quae subsequuntur ἓν δ' εὐτυχές .... βίῳ, totum locum equidem sic intelligi velim: multae sunt multis mortalibus calamitates, formis quidem diversae, at unum, quod quidem beatum sit, vitae vix quisquam reperiat. At id ipsum cum iis pugnare videtur, quae alibi a poëta dicuntur. Nam si acrius et attentius quam philosophandi rationem Euripides complexus sit, consideraverimus, ita eum sibi persuasisse videbimus, homines, quae esset rerum humanarum inconstantia, mobilitas, varietas, aliquamdiu quidem prospero flatu fortunae uti solere, at qui perpetua quadam felicitate usus e vita cesserit, exstitisse neminem. Quae praecepta quam alte in mente eius impressa fuerint, inde colligi licet, quod toties animis audientium inculcavit. Atque in uberrima exemplorum copia pauca quaedam sufficiat exscripsisse. Suppl. 270. τῶν γὰρ ἐν βροτοῖς οὐκ ἔστιν οὐδὲν διὰ τέλους εὐδαιμονεῖν et similia Herc. F. 103. Auges fr. IX. 3. leguntur, Iph. Aul. 161. θνητῶν δ' ὄλβιος εἰς τέλος οὐδείς. Alexand. fr. III. ὥστ' οὔτις

ἀνδρῶν εἰς ἅπαντ' εὐδαιμονεῖ. Vide Bacch. 907. τὸ δὲ κατ' ἦμαρ ὅτῳ βίοτος εὐδαίμων, μακαρίζω et similiter Hec. 627. fr. inc. Matth. LXIX. Ut autem poëta his locis humanae felicitati non tam immensum spatium datum quam certos quosdam cancellos divinitus circumdatos esse declaravit: sic facile quis hic quoque eum simile quid dixisse suspicetur. Quare non multum repugnarem, si quis his argumentis adductus mutatis duabus literulis totum locum sic scribendum censeret: πᾶν δ' ἂν εὐτυχὲς μόλις πότ' ἐξεύροι τις ἀνθρώπων βίῳ, i. e. quod autem totum sive ab omni parte beatum sit, vix vitae quisquam reperiat. Neque minus recte πᾶν εὐτυχές i. e. πᾶσα εὐτυχία (vide Matth. Gr. Gr. § 269.) dicitur, quam Sophoclea illa ὕβρις πᾶσα Phil. 396. πᾶσ' ἀνάγκη O. R. 986. εὔνοια πᾶσα Phil. 1149. πᾶν δεῖμα ibid. 915. πάντα σοφίας i. e. πᾶσα σοφία. Eur. Alc. 625. At ne id quidem necessarium videtur, modo ne ἓν εὐτυχές cum ceteris felicitatem continuam, sed unam explices. Quid enim? Si quidem diuturnitate continetur vera rerum prosperitas, nonne necesse est eum, qui perpetuitatem felicitatis mortalibus non concessam putarit, omnino illam vitae humanae denegatam existimasse? Quid autem impedit, quominus virum suam de vita miseriis vexata sententiam hoc loco non minus libere atque aperte confessum esse statuamus quam fecerit in Andromedae fr. XXVII. οὐκ ἔστιν ὅστις εὐτυχὴς ἔφυ βροτῶν. His omnibus diligenter perpensis, ne provinciam meam viderer parum caute provideque administrasse, librorum scripturam non tam coniectura tentandam quam explicatione illustrandam putavi.

V. 505. sqq. Ὦ Πανὸς θακήματα καὶ
παραυλίζουσα πέτρα
μυχώδεσι Μακραῖς,
ἵνα χοροὺς στείβουσι ποδοῖν
Ἀγραύλου κόραι τρίγονοι
στάδια χλοερὰ πρὸ Παλλάδος
ναῶν ....

Codex B. στείχουσι.

Quamquam ii, qui in veterum scriptis explicandis atque emendandis summa cum laude sunt versati, hanc semper legem secuti sunt, ut ea tantum, quae monstrassent depravata esse, mutarent: tamen non eos defuisse inveni, qui vano quodam gloriae amore ducti hunc sibi campum, in quo excurrere ingenium cognoscique posset, eligentes, temeraria mutandi libidine sanissimos etiam locos vexarent. Cuius rei exemplum praebent versus, quos supra posui. Musgravius enim, postquam olim verba χοροὺς στείβουσι in dubium vocavit, non modo Reiskium ad eandem sententiam deduxit, sed auctoritate sua etiam Hartungium movit, ut, qua solet fiducia, parum Graece ea dicta esse iudicans speciosius quam verius χοροῖς στείχουσι scribendum censeret. Merito autem eos, qui Euripidis tragoedias nuper divulgarunt, hanc coniecturam aspernatos esse paucis monstrabo. Euripides igitur filias Agrauli trigeminas cum per prata viridia choros exercere fingeret, ita hoc Graece expressit, ut diceret: χοροὺς στείβουσι στάδια χλοερά. Quid? στείβειν χορούς nonne tam perspicue dictum, ut res quasi ante

oculos ponatur? »Audio«, inquit Hartungius vir doctissimus, »at vereor, ut Graecum sit.« Immo verum Graecum, si quidquam aliud. Nonnumquam enim et a Graecis et a Romanis ad verba eiusmodi nomina quarto casu adduntur, quae non meri obiecti vices impleant, sed rem ipsa actione effectam indicent, ita ut uno duorum quasi verborum vices expleri dicas, quorum alterum ipsam actionem, alterum, qua quid ratione agatur, significet. Sic quum Graeci πόλεμον ταράσσειν, Romani bellum turbare usurpant, non bellum, quod geritur, perturbari dicunt, sed turbando moveri. Quod genus dicendi quam late pateat apud Latinos eleganter et subtiliter exposuit Naegelsbachius in eo libro, quem de conformanda oratione Latina Germanice conscripsit § 102. Uberrimam exemplorum copiam vir doctissimus congessit, quorum pauca hic attulisse non alienum esse arbitror. Cic. Vatin. 11, 26. corruptum indicium i. e. corrumpendo effectum. Liv. 30, 14. raptae prope inter arma nuptiae i. e. raptim confectae. Liv. 26, 28. subsidia firmare i. e. firma subsidia collocare. Cic. Fam. 7, 1, 1. ex illo cubiculo tuo, ex quo tibi Stabianum perforasti, h. e. pariete perforando in conspectum dedisti.

Quod si prosae scriptoribus gratum fuit hoc genus dicendi, quantopere illud in deliciis habuisse putandi sunt poëtae! Ipsa enim illa brevitate orationem vigere apparet. Similibus igitur exemplis non minus Romani poëtae abundant quam Graeci. Velut Propert. Eleg. II. 7, 11. caneret tibi Cynthia somnos Tibia. i. e. canendo conciliaret. id. Eleg. II. 1, 9. Sive lyrae carmen digitis percussit eburnis i. e. percutiendo effecit. id. III. 22, 35. Cornua nec valuit curvare in pellice Iuno. i. e., ut Hertzbergius optime interpretatur, cornua quae nondum fuerunt, efficere eaque curvare. Similiter loquitur Horat. Od. I. 33, 16. Fretis acrior Hadriae Curvantis Calabros sinus. Ovid. Trist. I. 1. 108. evigilare labores. Virg. Aen. II. 644. Pars pedibus plaudunt choreas et carmina dicunt. En prope verba Euripidea Latine conversa, aptissimeque poëtas, quod terra pulsanda efficiuntur, ipsos choros plaudi dicere intelliges. Neque minorem audaciam Sophoclis in Ajace v. 685. verba produnt: ὅπως μοι Νύσια Κνώσσι᾽ ὀρχήματ᾽ αὐτοδαῆ ξυνὼν ἰάψεις i. e. ut pedibus quatiendis choros agites. Arist. Ran. 330. θρασεῖ δ᾽ ἐγκατακρούων ποδὶ τὰν ἀκόλαστον χορείαν. Neque tamen, id quod plerique fecerunt, in eodem numero habere velim Homericum illud Odyss. θ. 264. πέπληγον δὲ χορὸν θεῖον ποσίν, quo loco ad eorum sententiam accedo, qui vocem χορόν eadem significatione usurpatam putent, qua versu 260. λείηναν δὲ χορόν, καλὸν δ᾽ εὔρυναν ἀγῶνα.

Denique, tametsi aliter explicari possunt, nescio an eiusdem generis sint εἱλίσσειν θιάσους choreas volvere Arist. Nub. 540. et Hymn. Ven. 263. καί τε μετ᾽ ἀθανάτοισι καλὸν χορὸν ἐῤῥώσαντο. Multa autem alia, quae quis fortasse huc allata velit, rectius ad figuram quam grammatici dicunt etymologicam revocanda erunt. Iam cum in eo, quo versamur, loco accusativus χορούς cum verbo στείβειν in unam quasi notionem coalescat, nihil offensionis est in altero accusativo spatii decursi στάδια χλοερά, satis quidem trito poëtis, qui δραμεῖν ῥόθια πεδία, διφρηλατεῖν οὐρανόν, διφρεύειν πέλαγος, κόμας ῥῦμα δακρυόεν τανύειν, βάσιν ἐφίστασθαί τινα, alia dictitarunt. Quamquam autem invitus feci, ut eam viam, quam in his accusativis explicandis ingressus est Ed. Wunderus in censura Aiacis a Lobeckio editae pag. 75—78, relinquerem, tamen non

tantum eius auctoritati tribuendum putavi, ut, quae aliter interpretanda esse intellexissem, silentio meo viderer comprobasse. Ille enim de verbis Sophoclis in Aiace supra laudatis ἰάπτειν ὀρχήματα disputans sic statuit pro eo, quod exspectes, πόδας nomen ὀρχήματα positum esse, quod pedes saltandi causa iactentur. Quam explicandi rationem quominus amplectar quum ea, quae supra exposui, me impediunt tum ipse locus Euripideus, in quo ad στείβουσι χορούς additum sit nomen ποδοῖν. Saepius autem nomina πούς et χείρ ad verba motum significantia adiungi, ubi minime opus sit, velut Eur. Andr. 1139. πηδῆσαι ποδοῖν, Theocr. VII. 153. ποσσὶ χορεῦσαι docuit Lobeckius ad Aiacem pag. 222 sqq.

V. 509 sqq. ΧΟ. ἵνα χορούς στείβουσι ποδοῖν
'Αγραύλου κόραι τρίγονοι
στάδια χλοερὰ πρὸ Παλλάδος
ναῶν, συρίγγων
ὑπ᾽ αἰόλας ἰαχᾶς
ὕμνων ὅταν αὐλίοις
συρίζῃς, ὦ Πάν,
τοῖσι σοῖς ἐν ἄντροις.

H. Stephanus, qui verba συρίγγων ὑπ᾽ αἰόλας ἰαχᾶς ὕμνων impeditiora arbitraretur, in suis codicibus, quos quidem eum ementitum esse nunc satis constat, ὕμνον exstare affirmavit. Quam coniecturam qui merito improbavit Matthiae locum, ut mihi quidem persuasum est, satis contorte interpretatur. Nam quum vocem ἰαχά et ad συρίγγων et ad ὕμνων referendam esse censeret, ita ut alterum sonus esset quem fistulae ederent, alterum ille, quo carmina canerentur, nec quo iure id fieri posset docuit, nec videtur meminisse non posse hoc dicendi genus usurpari, nisi ita, ut altero nomine alterius vis aut illustretur magis aut accuratius definiatur. Mea quidem opinione nulla in hoc loco difficultas residebit, si verba illa ita explicaveris, ut poëta Pana non carmina fistula modulari, sed calamorum cantibus totam vicinitatem personare dicat. Quod vix ei dubium esse poterit qui nonnumquam fistularum tibiarumque cantum μοῦσαν, φωνήν, ἀοιδήν, μέλος vocari reputaverit. Vide Eur. Troad. 126. αὐλῶν παιᾶνι στυγνῷ συρίγγων τ᾽ εὐφθόγγῳ φωνᾷ. Electr. v. 702. εὐαρμόστοις ἐν καλάμοις Πᾶνα μοῦσαν ἡδύθροον πνέοντα. Hel. 370. τῷ τε συρίγγων ἀοιδὰν (sic emendavit Hermannus) σεβίζοντι Πριαμίδᾳ πότ᾽ ἀμφὶ βουστάθμιους. Meleag. III. 4. μέλισμα λύρας. id. Epigr. 88. μέλος χέλυος. Sic a Romanis nervorum tibiarumque cantus nonnumquam carmina appellantur. Propert. Eleg. I. 3, 42. Orpheae carmine fessa lyrae. id. II. 3, 19:

Aeolio quum tentat carmina plectro
Par Aganippeae ludere docta lyrae.

Ovid. Heroid. 12, 139. Tibiaque effudit socialia carmina vobis. Itaque in versu Euripideo genetivum ὕμνων cum αἰόλας ἰαχᾶς iungendum esse et ab his verbis, quae quasi in unam notionem coalescunt, alterum genetivum συρίγγων pendere putaverim, ita ut totus versus Latine reddi possit: Fistularum cantibus varie sonantibus. Saepe

autem ac libenter fecerunt poëtae, ut Pana legentibus ante oculos ponerent suavissime calamis suis ludentem tripudiantibus Nymphis et resonantibus vallibus atque arbustis. Idemque clarius expressit Euripides El. 702. εὐαρμόστοις ἐν καλάμοις Πᾶνα μοῦσαν ἡδύθροον πνέοντα. Aristoph. Ran. 230. καὶ κεροβάτας Πάν, ὁ καλαμόφθογγα παίζων. Incertus poëta apud Athenaeum X. p. 455. 15. Meinek. θηροφόνε Πάν, ... κηρόχυτον ὅς μείλιγμ' ἱεῖς. Hom. Hymn. in Pana v. 15. δονάκων ὕπο μοῦσαν ἀθύρων νήδυμον, οὐκ ἂν τόν γε παραδράμοι ἐν μελέεσσιν ὄρνις, ἥτ' κ. τ. λ. Iam vero videndum, quid tandem significent ea quae proxime sequuntur ὅταν αὐλίοις συρίζῃς τοῖσι σοῖς ἐν ἄντροις.

Non mirum sane, quod molestae isti abundantiae, qua laborare opinarentur orationem, viri docti remedia quaerebant. Quoniam autem vocem αὐλίοις molestiae sedem esse manifestum est, deque hac ipsa interpretes in varias sententias discesserunt, quid mihi videatur, brevi exponam. E nomine αὐλή substantivum αὐλίον, sive ut aliis placet αὔλιον, ductum est, quod primum quidem parvam aulam significat, vide Suidam sub voce αὐλία· »ἀντὶ τοῦ τὰς μικρὰς αὐλάς, οὕτω Λυσίας καὶ Αἰσχίνης«; deinde autem vi ac significatione nominis deminutivi amissa, tum septum sonat, (vide Suidam sub voce αὐλία »ἀντὶ τοῦ ἔπαυλις«;) tum ab Euripide et Sophocle — apud Aeschylum enim non invenitur — semper, quod sciam, ita usurpatur, ut idem valeat, quod ἄντρον, qua vi pluribus locis Philoctetae et Cyclopis legitur. Iam quum verba αὐλίοις τοῖσι σοῖς ἐν ἄντροις postremam explicationem non admittant, nisi forte poëtis concedendum est, ut inanibus verborum repetitionibus indulgeant, facere non possumus, quin ab Hartungio dissentiamus, qui, quod ab Aristophane Lys. 721. Panos antrum αὐλίον vocaretur, suam explicationem egregie muniri ratus, aptissime Euripidem sedes illas divinas αὐλία ἄντρα appellasse affirmaverit. Quod et ipse videtur sensisse: nam quae deinceps addit: »αὐλίον ist der Pferch, in welchem die Heerde des Nachts unter freiem Himmel gehalten wird, oder die Hürde, derselbe wird auch αὖλις genannt.« ipsum in explicanda voce dubium haesisse convincunt. Refutata autem hac interpretatione, cum e reliquis, quas snpra posui, opinionibus alteri refragari appareat totam sententiam, restat ut ne alteram quidem probabilem esse ostendam. Sed quid multis explicationem refellam, quae nemini umquam in mentem venerit? Profecto Panos antrum septum vocare, poëtae esset si non dormientis, at hallucinantis certe. Denique ne illi quidem audiendi sunt, qui αὐλίον non modo septum, sed etiam domicilium rusticum significare arbitrentur, tametsi sententiam illam, primo quidem adspectu sane probabilem, etiam Papius sua auctoritate firmavit hymnum in Mercurium afferens, ubi hi versus leguntur, v. 103 sqq.:

Ἀδμῆτες δ' ἵκανον ἐς αὐλίον ὑψιμέλαθρον,
καὶ ληνοὺς προπάροιθεν ἀριπρεπέος λειμῶνος·
ἔνθ' ἐπεὶ εὖ βοτάνης ἐπεφόρβει βοῦς ἐριμύκους,
καὶ τὰς μὲν συνέλασσεν ἐς αὐλίον ἀθρό' ἰούσας
λωτὸν ἐρεπτομένας, ἠδ' ἐρσήεντα κύπειρον.

Cui tamen haec perlegenti dubium erit, quin hic quoque septum, quo armenta compellantur, intelligendum sit? Similiter verba explicanda esse putarim apud Theocr. VII. 151:

τὸν κρατερὸν Πολύφαμον, ὅς ὤρεσι νᾶας ἔβαλλε,
τοῖον νέκταρ ἔπεισε κατ' αὔλια ποσσὶ χορεῦσαι.

Facetam sane ac vividam imaginem poëta expressit temulentum Polyphemum faciens per septa saltantem. Diversam interpretandi viam ingressus est Hermannus, monuit enim vocem αὐλίοις non ab αὐλή, sed ab αὐλός formatam esse. Sed quia non indicavit, quid hic tibiae sibi vellent, quomodo haec interpretandi ratio possit defendi, non intelligo. Iam vero mea, qualiacunque sunt, argumenta si id effecerint, ut ceterorum explicationes cunctae vel evertantur vel suspectae reddantur, equidem, ne ad coniecturae quasi scopulum appulsus naufragium faciam, aliam viam monstrabo, quam in tanta veterum testimoniorum raritate timidum me atque dubium ingredi non diffitear.

E nomine αὐλή duo adiectiva ducta sunt, αὔλειος et αὔλιος, quorum illud id quod vestibuli est significat, velut ianua domus viae proxima plerumque αὔλειος θύρα appellatur. Vide Suidam sub voce αὔλειος: »ἡ ἀπὸ τῆς ὁδοῦ πρώτη θύρα τῆς οἰκίας. Καὶ αὐλείους θύρας.« Alterum autem adiectivum αὔλιος, quod raro admodum usurpatum est, primum quidem id quod stabulorum est valet; stabulis enim area cingebatur. Sic Apollonius Rhodius 4, 1630. Hesperum, quo oriente greges in stabula cogantur, ἀστέρα αὔλιον appellavit, quo sensu hoc verbum nusquam alibi, quantum quidem scio, legitur. Deinde cum voce αὐλή quaelibet sedes sub divo sita nominetur, unde verbum αὐλίζεσθαι ab Hesychio et Suida κοιμᾶσθαι, a grammatico apud Bekkerum pag. 463. διανυκτερεύειν καὶ κατάγεσθαι explicatur, non inepte quis αὔλιος id quod domicilii est significare suspicetur. Ex quo efficitur antra, in quibus deus sedem sibi ac domicilium constituisset, rectissime a poëta Πανὸς αὔλια ἄντρα appellata esse. Vix puto quemquam me reprehensurum, quod quae dixi altius repetita sint. Non enim tritas vias relinquere ausus essem, quum praesertim adiectivum αὔλιος locis quos attuli exceptis nusquam in litteris Graecis indagaverim, nisi ex vetere lexicographo testimonium eruissem, quo meam rationem firmari putarem. Servavit illud auctor Etymologici Magni, qui sub voce αὔλιον ἄντρον incerti poëtae verba afferens Ἠδὲ καὶ αὔλιον ἄντρον addit παρὰ τὸ ἐν αὐτῷ αὐλισθῆναι Διόνυσον.

V. 833 — 845. Παιδαγωγός.

λαβὼν δὲ δοῦλα λέκτρα νυμφεύσας λάθρα
834 — 835. τὸν παῖδ' ἔφυσεν .... ὁ δ' ἐν θεοῦ
δόμοισιν ἄφετος, ὡς λάθοι, παιδεύεται.
νεανίαν δ' ὡς ᾔσθετ' ἐκτεθραμμένον,
ἐλθεῖν σ' ἔπεισε δεῦρ' ἀπαιδίας χάριν.
κᾆθ' ὁ θεὸς οὐκ ἐψεύσαθ', ὅδε δ' ἐψεύσατο
πάλαι τρέφων τὸν παῖδα, κἄπλεκεν πλοκὰς
τοιάσδ'· ἁλοὺς μὲν ἀνέφερ' εἰς τὸν δαίμονα,
ἐλθὼν δέ, καὶ τὸν χρόνον ἀμύνεσθαι θέλων,
τυραννίδ' αὐτῷ περιβαλεῖν ἔμελλε γῆς,
καινὸν δὲ τοὔνομ' ἀνὰ χρόνον πεπλασμένον,
Ἴων, ἰόντι δῆθεν ὅτι συνήντετο.

Creusa quae non modo prole careret, sed etiam filium, quem olim ab Apolline susceperat, sibi fato ereptum deploraret, summa cum exspectatione laeti oraculi Delphos profecta postquam maritum voti compotem factum, ipsam ab omni quam in deo collocasset spe deturbatam videt, in lacrimas atque lamenta effusa orbitatem suam vehementissime conqueritur. Tum senex Erechthei educator, quem illa fidelissimum rerum omnium socium comitemque habebat, et misericordia dominae et Xuthi, ut peregrini, odio incensus fraude turpissima eam a marito deceptam esse ostendit; illum, quum e coniuge se liberos habiturum esse desperasset, ancillae amore captum, clandestinis nuptiis ex ea Ionem procreasse ac Delphorum cuidam educandum tradidisse. Quem quum a pueris excessisse sensisset, hominem fraudes ac mendacia molientem coniugi persuasisse, ut secum Delphos proficisceretur. Nam, pergit v. 841, si in adulterio deprehensus esset, rem ad deum collaturus erat, i. e. ut Fixii verbis utar, clandestinum concubitum eo praetextu excusaturus, quod puer deo consecratus nihil amplius ad patrem pertineret, deinceps addit

ἐλθὼν δὲ καὶ τὸν χρόνον ἀμύνεσθαι θέλων,
τυραννίδ' αὐτῷ περιβαλεῖν ἔμελλε γῆς.

Eos, qui ex his versibus sententiam se aliqua ex parte probabilem elicere posse confiderent, quod vellent vix puto esse assecutos. Ex quo tempore autem Musgravius pro ἐλθὼν δέ, λαθὼν δέ scribendum coniecit, verba illa et depravata esse foedissime et a viro sagacissimo speciosius quam verius emendata omnes fere viri docti consenserunt. Atque ipsam Musgravii interpretationem: »sin latuisset, sperans fore ut longum temporis intervallum consilium suum adiuvaret, puero regnum conciliaturus erat« quod Graece non ἀμύνεσθαι sed ἀμύνειν dicendum fuit, iure Hermannus improbavit. Nec ceteris id puto contigisse, ut verborum obscuritatem illustrarent. Quis enim Matthiaeo fidem habeat dicenti poëtam, cum scriberet τὸν χρόνον ἀμύνεσθαι θέλων, intelligi voluisse: »iniuriam a tempore illatam ulcisci volens«, aut quis Fixio assentiatur cum haec verba ita Latine reddit: »etiam tempus, quod ostenderet adultum filium, se adiuvare volens.« Haec enim sententia, praeterquam quod eodem, quo Musgraviana, vitio laborat, obscurior est quam quae videatur ab Euripidis ingenio profecta esse. — Iam cum verba illa, ut in libris leguntur, orationis structura adeo sint impedita, ut apta sententia careant, mihi quidem, nisi emendata, non posse explicari videntur. Et Hermannus quidem suspicatur legendum esse: λαθὼν δέ, κατὰ τὸν χρόνον, ἀμύνεσθαι θέλων, τυραννίδ' αὐτῷ .... γῆς et explicat: Si res in occulto maneret, decursu temporis, ut sibi praesidium pararet, regnum ei erat conciliaturus. Hanc viri ornatissimi coniecturam libentissime arriperem, nisi eam minus probabilem redderent verba, quae versu sequenti leguntur, ἀνὰ χρόνον. Non felicius locum, in quo versamur, tractatum esse puto ab Hartungio, qui emendaret: λαθὼν δέ, καιρὸν χρόνου ἀφύσσεσθαι θέλων, conferens Homerica πλοῦτον, κλέος, ἄφενος ἀφύσσειν. At non attendit hiatum vir doctissimus, quem in senariis poëtae summa cum diligentia evitarunt. Sed in his, quae totum locum occuparant, tenebris facem quasi ceteris accendit Iacobsius, qui legendum proposuit: λαβὼν δὲ καιρόν, φθόνον ἀμύνεσθαι θέλων, sagacissime observans respici a poëta quae supra Xuthus dixisset

v. 673: χρόνῳ δὲ καιρὸν λαμβάνων προσάξομαι δάμαρτ' ἐᾶν σε σκῆπτρα τἄμ' ἔχειν χθονός. Quamvis autem viri acutissimi emendationem elegantissimam esse non diffitear, tamen non puto aliquanto plus me mihi arrogaturum, si et ipse quid vires in coniectando valeant, periclitatus ero. Non deerunt fortasse qui assentiantur mihi suspicanti poëtam hunc versum fudisse: λαβὼν δ' ἐκεῖνον, φόνον ἀμύνεσθαι θέλων, id quod etiam verisimilius videbitur reputanti, haec verba et a tradita librorum scriptura ἐλθὼν δὲ καὶ τὸν χρόνον haud multum differre et sententiam praebere aptissimam: Xuthus, si in dolo deprehensus esset, rem ad deum erat collaturus, si filium invenisset, caedem a se defendere cupiens, regnum ei erat traditurus. Atque illi, quippe qui peregrinus esset, metuendum profecto erat, ne, nisi filium procreasset, a civibus ambitiosis insidiae sibi pararentur.

V. 930 sqq. ΠΑ. ὦ θύγατερ, οὔτοι σὸν βλέπων ἐμπίπλαμαι
πρόσωπον, ἔξω δ' ἐγενόμην γνώμης ἐμῆς·
κακῶν γὰρ ἄρτι κῦμ' ὑπεξαντλῶν φρενί,
πρύμνηθεν αἴρει μ' ἄλλο σῶν λόγων ὕπο,
οὓς ἐκβαλοῦσα τῶν παρεστώτων κακῶν
μετῆλθες ἄλλων πημάτων κακὰς ὁδούς.

Scite atque prudenter fecit poëta, quod Creusam Apollinis amores filiique partum, quae quidem omnia religiosissime antea reticuisset, tum demum patefacientem induxit, quum dei perfidiam experta maritum filii natalicia celebrantem videret, nec ullum sibi solatium, nisi in lacrimis et querelis reliquum esse putaret. Hanc reginae narrationem vix dici potest quanta cum admiratione acceperit senex ille Erechthei educator, qui numquam antea Apollinem ex illa filium suscepisse audisset. Quam viri perturbationem quamquam perspicue exprimunt verba, quae supra exscripsi, tamen fuerunt qui orationem durius atque insolentius conformatam esse opinati, traditam scripturam in suspicionem vocarent. Plerique autem viri docti verba οὓς ἐκβαλοῦσα in vitio esse putarunt, pro quibus Musgravius parum emendate sic scripsit: ὡς, ἐκλαθοῦσα τῶν παρεστώτων κακῶν, μετῆλθες ἄλλων πημάτων καινὰς ὁδούς addens tamen: »quamquam et ἐκβαλοῦσα tueri videtur ἐκβολὴ λόγου apud Pollucem.« Ei ita accessit Kirchhoffius, ut legendum proponeret ὥς μ' ἐκκαλοῦσα, emendationem autem καινὰς ὁδούς et ipse probaret. Nauckius verbum οὔτοι in οἴκτου mutandum esse coniecit, versus 933 — 35 autem corruptos atque obscuros esse iudicavit. Dissenserunt ab hac sententia Matthiae atque Hartungius, quibus codicum scriptura non tam emendanda quam explicanda videbatur. Ille enim interpretatur: οὓς λόγους περὶ τῶν παρεστώτων κακῶν ἐκβαλοῦσα, hic verba sic construi iubet: οὓς λέγων μετῆλθες, ἐκβαλοῦσα sc. πόδα τῶν π. κ. Sed neutra explicatio mihi probatur. Denique Fixius atque Hermannus totum locum silentio praetermiserunt. Mihi autem reputanti non posse me traditam scripturam ita, ut scrupuli omnes evellantur, constituere, ea praecipue, quae ad sententiam illustrandam faciant, proferre in animo est. Ac neminem quidem fugiet Graecos et Romanos, quibus natura ipsa oceanum in conspectum dedisset, ad orationem et illu-

strandam et ornandam illud potissimum genus translationum adhibuisse, quod e mari ductum est. Itaque tum reipublicae cum navi similitudine vel maxime delectati sunt, tum ad varias vitae privatae vicissitudines illustrandas ea, quae per maria navigantes viderant, saepissime similitudinis gratia adsciverunt. Illud autem quam late per poëtarum potissimum carmina pateret, recte iam indicavit scholiasta ad Aristophanis Vesparum versum 29. his verbis: ἀεὶ γὰρ οἱ ποιηταὶ τὰς πόλεις πλοίοις παραβάλλουσιν. Alterum quoque, quod supra posui, genus tantopere ab utriusque sermonis scriptoribus usurpatum est, ut non facile quisquam totam illam exemplorum varietatem, nisi separato volumine, complecti possit. Ab ipsa similitudine autem distinguenda est translatio, quam Cicero de or. III. 39, 157. similitudinis ad verbum unum contractam brevitatem appellat. Nonnullas igitur huius modi translationes, ut locum, de quo sermo est, in clariore luce collocemus, e tragoediis Graecis exscribere non alienum erit. Atque calamitates, quibus vita humana exagitatur, κύματα, σάλον, κλύδωνας, χείματα appellarunt poëtae, translatione e mari petita ingenti vi tempestatum turbato. Vide Soph. Aiac. 352. ἴδεσθέ μ' οἷον ἄρτι κῦμα φοινίας ὑπὸ ζάλης ἀμφίδρομον κυκλεῖται. Eurip. Orest. 331. δεινῶν λάβροις ὀλεθρίοισιν ἐν κύμασιν πόνων, ὡς πόντου. Idem Bacch. v. 387. ὁ δὲ τᾶς ἡσυχίας βίοτος καὶ τὸ φρονεῖν ἀσάλευτόν τε μένει καὶ συνέχει δώματα. Confer. Soph. Ant. 162. O. T. 22. Eurip. Med. 360. ὡς εἰς ἄπορόν σε κλύδωνα θεός, Μήδεια, κακῶν ἐπόρευσεν. Vide praeterea Herc. Fur. 1092. Phoeniss. 861. Androm. 749. χείματος γὰρ ἀγρίου τυχοῦσα λιμένας ἦλθες εἰς εὐηνέμους. Deinceps summam malorum abundantiam significaverunt translatis verbis πέλαγος et ἐπιῤῥοή. Velut Euripides dixit in Hippolyto v. 822. κακῶν δ', ὦ τάλας, πέλαγος εἰσορῶ τοσοῦτον ὥστε μήποτ' ἐκνεῦσαι πάλιν μήτ' ἐκπερᾶσαι κῦμα τῆσδε συμφορᾶς. Vide praeterea Ellendt. Lex. Sophocl. sub hac voce. Aeschyl. Pers. 425. κακῶν δὴ πέλαγος ἔῤῥωγεν μέγα Πέρσαις et Prometh. v. 748. Eurip. Androm. 349. κακῶν τοσούτων οὐχ ὁρᾷς ἐπιῤῥοάς. (*) Itaque cursus vitae secundus nullisque tempestatibus vexatus designari solet adiectivis οὔριος, ἄκυμος, ἀσάλευτος. Quem loquendi usum praeter versus supra e Bacchis allatos hi fere loci testantur: Eurip. Herc. Fur. 697. μοχθήσας τὸν ἄκυμον θῆκεν βίοτον βροτοῖς. ibid. 95. γένοιτο τἄν, ὦ θύγατερ, οὔριος δρόμος ἐκ τῶν παρόντων τῶνδ' ἐμοὶ καὶ σοὶ κακῶν. Adi praeterea Ellendt. Lexicon Sophocleum sub hac voce et Lobeckium ad Aiacem v. 1083. ἐξ οὐρίων δραμοῦσαν. Ex eodem fonte manarunt verba χειμάζεσθαι, πλεῖν, ναυστολεῖν. Quo translationum genere imago hominum multis et magnis molestiis conflictantium quam perspicue exprimatur in aperto est. Confer Hipp. v. 315. φιλῶ τέκν', ἄλλῃ δ' ἐν τύχῃ χειμάζομαι et de translata verbi significatione consule praeterea Phryn. p. 388. Usum vocis ναυστολεῖν illustrant loci Euripidei: Iph. Taur. 559. ὁ ναυστολῶν γάρ εἰμ' ἐγὼ τὰς συμφοράς. Aeol. frg. XIX. 2. μακρὰν διὰ πόνων ἐναυστόλουν, quibus adde Hec. 1242. Verbum πλεῖν porro saepius poëtae transtulerunt, velut, ut paucis exemplis defungar, Sophocles in Ant. v. 190. ἥδ' ἐστὶν ἡ σώζουσα, καὶ ταύτης ἔπι πλέοντες ὀρθῆς τοὺς φίλους ποιούμεθα, in Electr.

*) Quae quidem translatio etiam recentioribus poëtis trita atque usitata est. Vide Shakespearium in Hamleto III. 1. Or to take arms against a sea of troubles, and by opposing end them?

v. 127. ἐν κακοῖς μοι πλεῖν ὑφειμένῃ δοκεῖ, Euripides in Troadibus v. 102. πλεῖ κατὰ πορθμόν, πλεῖ κατὰ δαίμονα, μηδὲ παρίστω πρῷραν βιότου πρὸς κῦμα, πλέουσα τύχαισιν. Hinc factum ut qui ne in rebus adversis quidem se ab amicorum societate seiunxerunt συμπλεῖν φίλοις dicantur. Sic apud Euripidem Orestes de Pylade praedicat Iph. Taur. v. 600. οὗτος δὲ συμπλεῖ τῶν ἐμῶν μόχθων χάριν, vide etiam Herc. Fur. v. 1222. χάριν δὲ γηράσκουσαν ἐχθαίρω φίλων καὶ τῶν καλῶν μὲν ὅστις ἀπολαύειν θέλει, συμπλεῖν δὲ τοῖς φίλοισιν δυστυχοῦσιν οὔ. Similiter apud Sophoclem Ant. 540 — 41. Ismene affirmat: ἀλλ' ἐν κακοῖς τοῖς σοῖσιν οὐκ αἰσχύνομαι ξύμπλουν ἐμαυτὴν τοῦ πάθους ποιουμένη. Latius etiam patent voces ἀντλεῖν et ἐξαντλεῖν, quae cum a significatione verborum exantlare et exhaurire apud Romanos non recedant, pluribus explicare supervacaneum est. Ductum inde adiectivum ὑπέραντλος in Euripidis Hippolyto v. 767. χαλεπᾷ δ' ὑπέραντλος οὖσα συμφορᾷ, quae verba Phaedram gravi calamitate pressam ac tantum non submersam paene in conspectu animi ponunt. Quibus autem illud contigit, ut e periculis atque miseriis sese eriperent, ii non minus Graecis quam Romanis evitata tempestate fluctibusque sedatis tamquam in portum confugisse videbantur. Et in hoc quidem genere similitudinis versantur voces ἐκνεῖν, μεθορμίζεσθαι, λιμήν, γαλήνη. Vide praeter versus ex Hippolyto 822. supra allatos ibidem v. 469 — 70. εἰς δὲ τὴν τύχην πεσοῦσ' ὅσην σὺ πῶς ἂν ἐκνεῦσαι δοκεῖς; Med. 442. σοὶ δ' οὔτε πατρὸς δόμοι, δύστανε, μεθορμίσασθαι μόχθων πάρα, Danaes frag. IV. οὕτω δὲ θνητῶν σπέρμα, τῶν μὲν εὐτυχεῖ λαμπρᾷ γαλήνῃ, τῶν δὲ συννεφεῖ πάλιν. Aeschyl. Suppl. 453. ἄτης δ' ἄβυσσον πέλαγος οὐ μάλ' εὔπορον τόδ' ἐσβέβηκα, κοὐδαμοῦ λιμὴν κακῶν. Eurip. Bacch. 900. εὐδαίμων μέν, ὃς ἐκ θαλάσσας ἔφυγε κῦμα, λιμένα δ' ἔκιχεν· εὐδαίμων δ' ὃς ὕπερθε μόχθων ἐγένετο. Totum hoc translationum genus, quantopere a poëtis ad illuminandam orationem adhibitum sit, ex his, quae facile augeas, exemplis perspicue poterit intelligi. Iam ut eo, unde digressi sumus, redeamus, verba, in quibus explicandis versamur, paucis exceptis, non tam insolentia aut perturbata esse putaverim, ut non lumen iis adhibere possis. Quodsi traditae scripturae menda κακάς Musgravius, οὔτοι Nauckius felicissime videntur correxisse, ea tantum modo, quae infra leguntur: οὓς ἐκβαλοῦσα paullo obscuriora erunt. Nam genus dicendi illud λόγους ἐκβάλλειν quamquam et per se bonum est et scriptoribus satis usitatum, tamen nescio an a tota sententia plane abhorreat. His enim non solum idem, quod verbis σῶν λόγων ὕπο significatur, admodum ieiune iteratur, sed etiam durior fit structura genetivorum τῶν παρεστώτων κακῶν, qui non habent unde apte pendeant. Utrique incommodo facile consules, si aut ἐκνέουσα aut ἐκδραμοῦσα scripseris, quod si probatur, ita conformata erit oratio, ut non planius quid desideretur. Atque senex ille fatetur se filiae vultum intuentem commiseratione ita commoveri, ut animo vehementissime perturbetur. Me enim, inquit, dum ex animo tuo, tamquam navi tempestatibus iactata, irruentes malorum fluctus exhaurio, verba tua, quasi novi quidam fluctus, e puppi in mare excusserunt: nam quum e praesentibus malis emergebaris (respiciuntur insidiae aut Ioni aut Xutho struendae vrs. 857 — 867.) novas novarum calamitatum vias ingressa es.

V. 1065 — 1070. ἀντιστρ. ά.

εἰ δ' ἀτελὴς θάνατος σπουδαί τε δεσποί-
νας ὅ τε καιρὸς ἄπεισι τόλμας,
ἅτε νῦν φέρετ' ἐλπίς, ἢ θηκτὸν ξίφος ἢ
δαίμων ἐξάψειν βρόχον ἀμφὶ δειρήν,
πάθεσι πάθεα δ' ἐξανύτουσ'
εἰς ἄλλας βιότου μορφὰς κάτεισιν.

His foedati corruptelis versus in codice C. leguntur, a quo duobus locis discrepans codex B. hanc scripturae varietatem servavit: v. 1067. ὦ νῦν ἐλπὶς φέρετ'. ibid. ξίφος ὁ δαίμων ἐξάψειν. Atque in tot tantisque vitiis tollendis postquam magna cum sollertia viri docti versati sunt, totum locum sic Hermannus scribi iussit: εἰ δ' ἀτελὴς θάνατος, σπουδαί τε δεσποίνας, ὅ τε καιρὸς ἄπεισι τόλμας, ᾇ τε νῦν φέρετ' ἐλπίς, ἢ θηκτὸν ξίφος ἢ λαιμῶν ἐξάψει βρόχον ἀμφὶ δειρήν, πάθεσι πάθεα δ' ἐξανύτουσ' εἰς ἄλλας βιότου κάτεισι μορφάς. Non multum ab illo dissensit Matthiae, qui verba ἢ θηκτὸν ξίφος, ἢ λαιμῶν ἐξάψει βρόχον ἀμφὶ δειρήν etsi audacius tamen haud inconcinne ab Euripide conformata esse iudicaret; zeugmatis enim, quod dicitur, figura scriptorem usum eandemque vim verbis subiectam esse, ac si scripta essent: ἢ θηκτὸν ξίφος ὤσει δι' ἥπατος, ἢ βρόχον ἐξάψει λαιμῶν, verba autem ἀμφὶ δειρήν abundantia quadam addita esse huic poëtae satis usitata. Sed non eam esse orationis structuram, in qua nihil offendere aut displicere posset, Fixius et Hartungius gravissimis argumentis demonstrarunt. Atque concedendum sane erit membra sententiae parum venuste ita esse partita, ut alterum multo sit brevius quam exspectes, alterum iusto longiore verborum continuatione quasi oneratum.

Quis enim sibi persuadeat poëtam ita locutum esse, ut, quum accusativum ἢ θηκτὸν ξίφος scripsisset, non, id quod sexcentis aliis locis fecit, iugulum percussum iri significaret, in altera autem parte sententiae ad verba ἢ ἐξάψει βρόχον ἀμφὶ δειρήν genetivum λαιμῶν, qni ne desideratur quidem, adiungeret. His potissimum rationibus ductus Fixius legendum esse coniecit: ἢ θηκτὸν ξίφος ἢ λαιμῶν, ἢ 'ξάψει β. α. δ., ita ut verbum ἐξάπτειν, proprium de nectendo laqueo, paullum diversa notione etiam ad alterum membrum pertineat. Hartungius autem paullo audacius, ut solet, scribi iussit: ἢ θ. ξ. εἰς λαιμούς, ἢ 'ξάψει β. α. δ. Equidem, tametsi argumentationem illam non possum non probare, neutrius tamen coniecturae palmam deferri malim. Nec aliter illi statuerunt, qui Euripidis tragoedias nuper recognoscendas emendandasque curaverunt. Ac Nauckius qnidem sibi non liquere ait, Kirchhoffius autem scribendum proponit: ἢ θηκτὸν ξίφος λαιμῶν ὤσει, ideoque in antistropha vocem σῶν inseri iubet. At lubrica admodum ea est emendandi ratio, quae alterius loci mutationem requirat ceteroquin minime suspecti.

Equidem ut Kirchhoffio consentio verbum, unde accusativus θηκτὸν ξίφος pendeat, hoc loco desideranti, ita opinor viros doctos propterea a vero aberrasse, quod, Scaligero λαιμῶν corrigenti nimis obsecuti, huius vestigia persequi quam novam ipsi viam ingredi maluerunt. Quae omnia consideranti mihi ac reputanti, quam saepe tragici poëtae adiectivum θηκτόν cum nominibus telorum coniunxerint, in hac voce illud

ipsum, quod desideratur, verbum latitare idque vetusto librariorum errore cum adiectivo illo usitatissimo confusum videtur esse. Praeterea non cum Scaligero e literis ἢ δαίμων verba ἢ λαιμῶν eruam, sed una literula mutata genuinam scripturam ἡ τλάμων fuisse suspicor. Hos versus igitur sic scribendos puto:

ἢ θήξει ξίφος ἡ
τλάμων, ἢ 'ξάψει βρόχον ἀμφὶ δειρήν.

Iam ut probabilem reddam coniecturam meam, monstrandum mihi erit verborum, quae proposui, conformationem neque a colore orationis Euripideae abhorrere, neque frigidam esse aut inconcinnam. Quid enim? Num inepte aut obscure poëta locutus est, quum diceret Creusam, mulierem infelicissimam, aut gladium acuturam esse, aut vitam suspendio finituram? Apparet enim illam, quum gladium acueret, animum induxisse ut vim sibi afferret. Quod si quis hoc argumentum non multum valere dicat, illud multo gravius esse debet, quod simili brevitate alibi etiam Euripides usus est. Vide Troad. v. 1006. ποῖ δῆτ' ἐλήφθης ἢ βρόχους ἀρτωμένη, ἢ φάσγανον θήγουσ', ἃ γενναία γυνὴ δράσειεν ἂν ποθοῦσα τὸν πάρος πόσιν; et Orest. v. 1034. τόδ' ἦμαρ ἡμῖν κύριον· δεῖ δ' ἢ βρόχους ἅπτειν κρεμαστούς, ἢ ξίφος θήγειν χερί. Comparari etiam possunt verba Aeschyli de Clytaemnestra marito caedem paranti: θήγουσα φωτὶ φάσγανον. Agam. v. 1221. Quod autem his locis nulla cum sententiae obscuritate, ut supra iudicavi, omissum est, ad caedem acui gladium, id nonnumquam additur, ut Orest. v. 50. εἰ χρὴ θανεῖν νὼ λευσίμῳ πετρώματι, ἢ φάσγανον θήξαντ' ἐπ' αὐχένος βαλεῖν. Altera, quam proposui, emendatio, verba intellego ἡ τλάμων, nescio an tam apta tamque sit facilis, vix ut defensione egeat. Verba enim τλήμων sive τάλας saepissime scenici poëtae ibi usurpant, ubi homines deplorantur aut obruti curis ac doloribus aut in discrimen capitis adducti. Exempla igitur afferre quamquam supervacaneum est, vide tamen, si tanti est, verba Sophoclis in Trachiniis v. 841. ὧν ἅδ' ἁ τλάμων ἄοκνον μεγάλαν προσορῶσα δόμοισι βλάβαν νέων αἴσσουσαν γάμων τὰ μὲν οὔτι προσέβαλε κ. τ. λ. Denique, priusquam finem faciam huic adnotationi, paucis dicendum erit de versu 1067. ἅτε νῦν φέρετ' ἐλπίς, ad quem aliter atque Hermannus fecit emendandum vestigia ducunt scripturae praestantiore codice B. servatae: ὦ νῦν ἐλπὶς φέρετ'. Haec Euripidem sic scripsisse opinor: αἷς νυν ἐλπίσιν ᾕρετ'. Aptissimum enim hoc loco verbum αἴρεσθαι, quod de iis dicitur, qui vehementioribus animi perturbationibus commoventur. Confer. Hec. v. 69. τί ποτ' αἴρομαι ἔννυχος οὕτω δείμασι, φάσμασι; Iphig. Aul. v. 925. ὑψηλόφρων μοι θυμὸς αἴρεται. Soph. O. R. v. 914. ὑψοῦ γὰρ αἴρει θυμὸν Οἰδίπους ἄγαν λύπαισι παντοίαισι. Maxime autem coniectura mea firmatur eiusdem poëtae verbis in Electra v. 1460. εἴ τις αὐτῶν ἐλπίσιν κεναῖς πάρος ἐξῄρετ' ἀνδρὸς τοῦδε κ. τ. λ. Totus igitur locus sic mihi constituendus videtur:

εἰ δ' ἀτελὴς θάνατος σπουδαί τε δεσποί-
νας ὅ τε καιρὸς ἄπεισι τόλμας,
αἷς νυν ἐλπίσιν ᾕρετ', ἢ θήξει ξίφος ἡ
τλάμων, ἢ 'ξάψει βρόχον ἀμφὶ δειρήν.

Sed, inquit chorus, si nec caedes facta erit et ad irritum redacta dominae consilia, et

facinoris opportunitas praeteribit, qua quidem spe Creusa commovebatur, aut gladium acuet mulier infelix, aut laqueo collum implicabit.

V. 1299—1300. ΚΡ. τοῖς Αἰόλου δὲ πῶς μετῆν τῆς Παλλάδος;
ΙΩΝ. ὅπλοισιν αὐτὴν οὐ λόγοις ἐῤῥύσατο.

